

stendum, sed quaecunque traduntur, in vsum quoque conuertenda sunt. Parum proderit aegroto, morbi aut sanitatis indolem, aut vim medicaminum, exploratam habere, nisi idem sanitati restituatur. Mecum ergo consentiunt, qui Ethicam per *prudentium*, prout haec non tantum circa singularia, sed & vniuersalia versatur, aut per *scientiam de prudentia* definiunt.

§. XIV.

Et istud quidem Ethicae cum ceteris philosophiae partibus est commune, quippe quae iunctim prudentiae habitum constituunt. Hoc autem proprium sibi & peculiare habet, quod circa summum bonum, & ex eius possessione fluentem felicitatem, versatur.

§. XV.

Hanc non tantum designat, sed viam etiam rationemque ad eam perueniendi demonstrat, in quo quidem *finis* Ethicae elucefecit.

§. XVI.

Difserit ergo a *iurisprudentia naturali*, quippe quae actiones ad legem componit, vt homo, qui rectae rationis praescriptum sequi secum constituit, quid agere, quidue intermittere debeat, cognoscere possit.

§. XVII.

Nimirum postquam eiectis & exturbatis vitiis, omnis miseriae causis, tranquillitati vereque felicitati redditus est animus noster, & quod inde consequi necesse est, diuinæ volun-